

## QUÆRES III.

516. An legens librum hæretici in Gallia, Anglia, & aliis locis, ubi Bulla Cæne non est recepta, incidat in censuram?

**R**esp. negativè, Diana part. 1. tract. 11. ref. 35. Leander de Censur. tract. 3. disp. 1. q. 51. Becanus, Sanchez, & quamplures, apud eos, quia hoc est commune cunctis legibus humanis: hinc Becanus in Summa Theolog. tract. 3. cap. 6. q. 8. num. 4. ait, multos Catholicos in Germania excusari à censura, quia multis in locis Bulla usu recepta non est.

517. Non excusatur autem in locis illis, ubi Catholicis sunt cum hæreticis permixti, & Bulla est usu recepta, ubi Leander cit. addit limitationem Hurtadi de Mendoza, his verbis:

*Ait enim, quod illi, ad quos non spectat tueri fidem, in dictis Provinciis, publica disputatione, aut scripto, minime possint tales libros legere, quanvis sit cum animo errores confutandi; bene tamen illi, quibus incumbit fidei propagatio; quia tunc ipsa fides pateretur damnium: cum libris hæreticorum non inspectis, non possint illorum errores oppugnari: possunt ergo, imò & debent tales Doctores hujusmodi libros in dicto casu legere.*

## CAPUT IX.

## DE RETINENTIBUS LIBROS HÆRETICORUM.

518. **R**etinere dicitur, qui apud se librum habet, sive proprium, sive alienum, quovis modo illum habeat, sive commodatum, sive ad legendum, &c. sive retineat proprio, sive alieno nomine; quia Bulla non requirit, quòd liber sit proprius retinentis, sed absolutè prohibet, ne retineatur, & retinens alieno nomine verè dicitur retinens. Bord. cit. sect. 49. num. 14. & in Trib. Fidei, cap. 14. num. 72. etiam si in aliena domo habeat. Bulemb. lib. 7. cap. 2. dub. 3. art. 5. num. 8. Bonac. tom. 3. disp. 1. q. 2. punct. 4. num. 15. unde hic à censura non excusatur.

519. Retinens ad confutandum non excusatur à censura. Bord. in Man. Conf. sect. 49. num. 13. quia lex absolutè prohibet, & factum respicit, non affectum: & intentio bona non potest cohonefcare actum absolutè prohibitum. Potest autem hic à suspitione hæresis se defendere, si id probet ostendendo consultationes ante inventionem librorum factas. Bord. cit. num. 74. quia non potest presumi suspectus de hæresi, qui ex professo hæresim impugnat: nec tunc adesse periculum infectionis constat ex contrario affectu, cum ex consultatione hæresis extirpetur; quoniam nulla causa potest producere effectum sibi contrarium: unde sicut calor non potest causare frigus, ita nec confutatio hæresis hæresim: hinc ait Bord. cit. num. 75. hic est singularis casus, ex quo ab excommunicatione non inferatur ad suspitionem hæresis, quia constat de ejus destructione.

520. Item non excusatur à censura retinens,

etiam si cognoscat, nullum esse subversionis periculum. 1. Quia hæc prohibitio non solum est acta ob periculum, verum etiam in odium hæreticorum. Diana part. 6. tract. 6. num. 49. adeoque etiam si cesset periculum, non cessat finis adequatus legis. De hoc puncto latè agit Tamb. lib. 2. Dec. cap. 1. § 7. num. 36.

521. Non excusantur à censura Cæne asportantes de uno in alium locum, vel vendentes scienter libros hæreticorum. Leander de Cens. tract. 3. disp. 1. q. 88. quia nedum sunt retentores, sed etiam fautores hæreticorum: excusatur solum, si illos asportet inclusos in capsulis, nesciendo, ibi contineri libros hæreticorum.

522. Nec excusantur retinentes in bibliothecis ad ornatum sine animo legendi. Leand. cit. q. 64. ob rationem num. 504. insinuatam.

523. Pro libris prohibitis, qui in bibliothecis Regularium fortè retinentur. Bord. novissime in Man. Consul. de anno 1693. sect. 49. num. 15. cum Delbene vult, censuram tantum incurri Superiorem Monasterii, si libros Inquisitori non consignet, minime bibliothecarium; quia cum libri sint incorporati Monasterio, bibliothecarius solum dicitur, eorum habere curam; aliud autem est cura, aliud retentio. Ita ille, qui censuram etiam bibliothecarium incurrit, prius dixerat, in Trib. Fidei. de anno 1665. cap. 4. num. 73.

524. Non excusatur Religiosus, qui librum è bibliotheca extractum in sua camera retinet, etiam si de licentia Superioris retineat; quia verè retinet. Bord. in Trib. Fidei cit.

525. Inventus in domo cum libris prohibitis, sibi ex hæreditate relictiis, suspectus non erit; si sit vir bonæ famæ, nec alias super his, aut similibus inquisitus, sed præsumitur ignorans. Bord. in Man. Conf. sect. 49. num. 73. Alberg. cap. 32. num. 24. Carena cit. 10. p. 4. num. 27.

526. Dans librum prohibitum habenti facultatem legendi, nec dicitur retinens, nec incurrit censuram, nisi prius legerit, aut retinuerit. Bord. cit. num. 31. contra Bonac. de Cens. num. 18. quia recipiens, & tradens sunt correlativi; correlativorum autem par est iudicium: unde, si unus licitè recipit, alter licitè tradit.

527. Nec obstat, quòd Dominus amiserit jus, & dominium libri; quia non dat, ut suum, nec donat, sed consignat habenti facultatem legendi, qui postea tenetur illum Superiori consignare ad comburendum.

528. Libri igitur, statim ac sunt prohibiti desinunt esse juris, & domini habentis, sed sunt juris, & domini Tribunalis S. Officii, in ordine tamen solum ad comburendos; & hoc pacto prohibitio est quadam confiscationis species. Bord. cit. sect. 48. num. 42. Hinc habens librum prohibitum, illum alienare non potest alteri dando, vendendo, &c. quia est sicut S. Officii, ut comburatur. Bord. sect. 48. num. 44.

Sec-

529. Servus retinens pro Domino habente licentiam, aut quis emens, vel ligans librum ad instantiam ejus, qui pariter licentiam habet, excusatur; quia licitè retinet, nam qui concedit aliquid, concedit facultas adhibendi media ad ejus concessionem, media namque sequuntur naturam sui finis, & ab eo regulantur. L. Oratorio 16. ff. de spons. Ita Bord. cit. sect. 49. num. 18.

Hoc autem dico veram de servo, si retineat præstando actualem famulatum domino, ut librum habeat, v. gr. librum tanquam bajulus deferendo domino: minime si librum in propria domo, aut in proprio cubiculo à domini cubiculo distincto retineat; quia licentia retinendi concessa domino non communicatur servis, nisi in quantum suum habet, ut dominus habeat; hinc si Superiori Monasterii licentiam habeat retinendi libros prohibitos, non proinde potest subditis eisdem in propria camera retinere.

530. Qui statim, ac cognovit, librum esse prohibitum, illum donavit amico, qui haud amplius eum apud se habet, non incurrit censuram; quia verè non retinet. Bord. cit. num. 20. peccat autem mortaliter contra obedientiam ratione præcepti, quo illum consignare debet Inquisitori.

## QUÆRES:

531. Librum quidam hæretici de Medicina tractans, aliquas tamen continens hæreses, fuit in duas partes divisus: & quia Petrus retinet partem illam, ubi hæreses non continentur, petit: An incurrat censuram Bulla Cæne?

**N**egat Ugolinius 2. p. de Casibus Reserv. Papa verb. Ac retinentes, num. 3. Suerojus in Bulla Cæne cap. 1. num. 180. apud Dianam p. 10. tract. 12. ref. 47. 1. quia, si una, vel altera hæresis, quæ continebatur in libro, inveniatur abrafa, aut ea folia detracta; ex ejus lectione, aut retentione non contrahitur censura: quia tunc liber non continet hæresim, nec adest periculum eam reperiendi. Vide num. 458. & seq.

532. Secundò; quia ex communi cum Bonac. Sanchez, Duardo, & Alberg. cit. supra sub num. 459. si opus hæretici pluribus constans coeventibus in unum volumen, quod unam, aut aliquas hæreses continet, dividatur in plures tomos; non incurrit censuram Cæne, qui legit, aut retinet tommum illum, qui nullam continet hæresim. Pariter, si liber hæretici unam, aut aliquas hæreses continens, dividatur in plures partes, tunc non incurrit censuram, qui legit, aut retinet partem illam, quæ nullam continet hæresim.

Corroboratur paritas: nam in hac re, vel attenditur periculum hæresis; & hoc æquè in utroque casu evitatur; vel odium hæreticorum eorumque doctrinæ; & hoc in neutro casu effugitur: igitur vel in utroque casu censura incurritur, vel in neutro.

533. Nec officit, quod pars illa sit pars libri hæretici; quia si illa, etiam à libro divisa, adhuc est pars libri, & inde sufficiens ad censuram, etiam

solum à libro divisum erit pars libri, & inde sufficiens ad censuram, & tamen ex num. 471. qui unum, vel alterum solum à libro separatum legit, aut retinet, non incurrit censuram Cæne; quia ob divisionem, nec actu, nec potentia saltim proxima est liber.

534. Respondeo, eum incurrit censuram Bulla Cæne; Leander de Cens. tract. 3. dif. 1. q. 46. Bonac. Fagund. Trullench, & alii apud ipsum. Ratio est; quia ex num. 457. eò ipso, quod liber hæretici continet unam hæresim, est prohibitus totus, ac proinde prohibitio, & censura transfunditur in omnes partes, quatenus est liber prohibitus ratione totius; & quia pars libri divisa à comparte est verè pars libri hæretici, qui continet hæresim, ideò legens, aut retinens, censuram Cæne non effugit.

535. Ad 1. rationem in oppositum dico, eam esse veram, si hæresis sit abrafa auctoritate publica.

536. Ad 2. paritas quidem est valida, ut Diana cit. eam non solvat, nec opinionem refutat. Sed disparitas est; quia, quando volumen constat ex pluribus toms dividitur in plures tomos, quilibet tommus jam divisus constituit per se unum librum, qui non dicitur ordinem per se, sed per accidens ad alium tommum in ordine ad faciendum unum volumen; & librum; quoniam unus tommus solitariè perfectum constituit librum independentem ab alio tomo: non sic est in casu nostro, ubi non fit divisio unius libri in plures tomos, sed unius tomi in plures partes; quia supponitur, quod liber non constat pluribus toms, & ideò qualibet pars libri divisa est per se ordinata ad compartem, & totum librum damnatum, ac proinde, non obstante divisione, pars retinet prohibitionem, & censuram, quam eam legens, aut retinens incurrat.

537. Ad 3. disparitas est ex num. 471. quia unum, vel alterum solum separatum est scriptum, non liber, nec pars libri potentia proxima: in casu vero nostro, pars divisa, cum non supponatur solum, sed volumen, saltim unius quaterni, non est scriptum, sed in se liber, partialis tamen, quatenus est per se ordinata ad compartem, & totum.

Confirmatur: solum, quia per divisionem à libro evadit scriptum, dicitur in potentia remota liber: igitur pars libri, de qua est sermo, quia per divisionem non evadit scriptum, retinet actu esse libri in se, & in potentia proxima esse libri totalis continentis hæresim.

## CAPUT X.

## DE IMPRIMENTIBUS LIBROS HÆRETICORUM.

538. **I**mprimendum nomine veniunt Officina impressoriae Domini, cujus auctoritate libri typis mandantur: qui typos ordinant, & componunt: qui sic compositos intingunt atramento: qui torcularia premunt: qui chartas madefaciunt, aut madefactas torculari supponunt: hi namque omnes imprimere dicuntur: & ideo

idē omnes censura Bulla Cœna imodantur. Ita Leander de Cens. tract. 3. disp. 1. q. 82.

Transcribentes libros hæreticorum eandem censuram incurunt; quia nulla est in substantia diversitas: imò sunt fautores hæreticorum cum eos sic maxime adjuvent ad propagandos errores. Leander cit. quest. 87.

539. Qui expensas impressiois facit, non incurrit censuram, quia non dicitur imprimere, sed remouē ad impressionem concurrere, peccat tamen mortaliter: incurrit autem censuram ut fautor, si id faciat, ut faveat hæresi. Imò & omnes sub nomine imprimendum, num. 538. relati, erunt etiam fautores, si ea ministeria exhibeant, ut faveant hæresi. Leander cit. q. 84. & 86.

540. Corrector exemplaris impressi hanc censuram non incurrit. Leander cit. quest. 83. Fagund. Suar. & alii, apud ipsum contra Filliuc. Palao, & Tamb. lib. 2. Decal. cap. 1. §. 7. num. 46. quia proprie non est impressor, sed impressi inspector; incurrit autem censuram Cœna ratione legentis librum hæretici, si corrigendo notabilem partem legat.

541. Tradens librum, ut imprimatur, non est impressor, sed sciens imprimere. Fagund. lib. 1. in Dec. cap. 14. num. 37. contra Leandrum cit. q. 85. & Tamb. cit. unde incurrit censuram Cœna, non ut impressor, sed ut hæreticus, si est libri Author. Vel ut fautor, si non est Author; cum sic maxime faveat hæresi propagandæ.

542. Qui impressoribus vendunt characterem æneum, papyrum, atramentum, & alia ad impressionem necessaria, non incurrit censuram, nisi ea ministrant, ut faveant hæresi: quia tunc erunt fautores, non impressores; nam non concurrunt proximè ad impressionem. Leander cit. quest. 86.

## CAPUT XI.

## DE DEFENDENTIBUS LIBROS HÆRETICORUM.

543. **D**efendentes libros hæreticorum subduntur tantum Bullæ Cœna, non Bullæ Pii IV. aut Indicis; quia in his nulla fit mentio de defendentibus.

544. Ex Bord. in Man. Consult. scđ. 49. num. 83. Modi defendendi librum hæretici sunt, si verbis, vel factis, aut scriptis exaltetur liber, probando, que in eo scripta sunt esse vera: Qui librum abscondit; qui impedit, ne deferatur ad S. Officium, aut ne comburatur; qui laudat opus; qui persuadet non esse dignum combustione, vel iniuste fuisse prohibendum.

545. Excusatur, qui laudat stylum libri, vel ingenium Authoris, vel bonam doctrinam, que in eo est, sed non quatenus in eo est. Item si dicat: hic liber est bonus, si non contineret hæresim. Busem. lib. 3. cap. 2. dub. 3. art. 5. num. 8. Leander de Cens. tract. 3. disp. 1. q. 94. & 95. quia hæc laudat secundum se, non ut opus hæretici; & sic non defendit librum hæretici.

Absolutè laudans librum hæretici, sanas continentem doctrinas simul, & pravas, incidit in censuram. Leander cit. quest. 96. quia illum simpliciter laudare est defendere.

## QUÆRES I:

546. An laudans librum hæretici ex professo de Religionē tractantem, nullum tamen errorem continentem, incurrit censuram?

**A**firmat Saleles reg. 144. num. 197. quia hæc locutio: hic liber, seclusa hæresi, est optimus, non est dignus prohibitione, aut combustione, tamen si nulla præsentē profertur, magna est ejus laudatio: ergo aliqualis defensio.

547. Negat Leander cit. quest. 96. & Bord. cit. num. 87. si laudatio sit operis in se; quia laudatio libri de doctrina libri in se bona, non est mala, nec prohibita; adeoque per se non continet defensionem libri, ut est ab Authore tali, nempe hæretico. Monet tamen Leander, ut Laudatio non fit tanta, ut videatur Author, & doctrina ejus simpliciter commendari.

548. Ad locutionem, quam adducit Saleles, respondet Bord. cit. verba illa esse iniquam laudationem, si referantur ad Authorem; minime, si ad opus in se spectatum cum fit bonum. Et in foro externo (ait) acceptandum esse sensum, quem sic loquens declarat, se intellexisse.

## QUÆRES II:

549. Petrus nullum habens errorem in intellectu, sed verè Catholicus, ingenii tamen gratia, nullo præsentē, edidit scripturam in defensionem libri hæretici, quam nulli ostendit, sed apud se custodit. An incidat in censuram Cœna?

**R**esp. affirmativè Leander cit. quest. 90. Const. ex verbis Bullæ, sub num. 419. quomodolibet defendentes, ex quavis causa, publicè, vel occultè, quovis ingenio, vel colore.

## QUÆRES III:

550. An censuram incurrat qui solus disputationis gratia librum hæretici defendit?

**R**esp. affirmativè Leander cit. quest. 62. Sanchez, Trullench, & alii. Constat ex verbis, num. 649. relatis: quovis ingenio, vel colore.

Hinc librum hæretici defendere dicitur, & censuram incurrit, qui disputationis gratia doctrinam pravam talis libri rationibus confirmat, vel ad argumenta Catholicorum in libro relata solutiones dat, quas rationes, & solutiones non impugnat.

## QUÆRES IV:

551. Petrus, ei proposito quodam libro Calvinii continente hæreses, dixit: volo defendere, hunc librum esse bonum, & nullam continere hæresim. An censuram incurrit?

**A**firmat absolutè Castropal. tom. 1. disp. 2. punct. 10. §. 2. num. 14. dicens, eum esse defensionem.

Ref-

## De Denun. ad Edicta Inquisitorum.

552. Resp. non incurrisse, si precise stetit in sola voluntatis ostensione. Leander cit. quest. 91. Bord. cit. num. 86. Sanchez, Fagund. & alii; quia Bulla exprimit factum: Defendentes: velle autem facere non est facere. Incurrit verò (ait ritè Leander) si cum effectu defensionem sit aggressus, aut jam esset quasi in prociutu paratus ad illam, provocans ad certamen volentes contrarium suscipere; quia hoc jam moraliter defensionis actualis reputatur.

## CAPUT XII.

## DE LIBRIS PROHIBITIS COMBURENDIS, aut expurgandis.

553. **L**ibri perpetuò quavis causa prohibiti, sunt Inquisitoribus, aut Episcopis respectivè consignandi, iuxta dicta superius, sub termino præxiō in ipsa Bulla Urb. num. 438. & 448. quia tempus illud fuit appositum ad sollicitandam consignationem, non ad terminandam obligationem, Bord. in Man. Consult. scđ. 48. num. 38.

Dixi: sub termino præxiō in ipsa Bulla Urb. nisi aliud brevius tempus fuerit in Edictis Inquisitorum præscriptum, quod debet attendi. Hinc in Edicto Inquisitorum Regni Siciliae pro consignandis Expurgatori libris expurgandis, solum tempus quindecim dierum præscribitur.

554. Ubi nota: quod potens librum hæretici commodè intra duos dies consignare, illum non consignet, incurrit censuram Bullæ Cœna, ut retentor. Vide num. 465.

555. Inquisitores, & Episcopi respectivè libros perpetuò quavis causa prohibitos, quancocius comburere debent, ex Bulla Urb. VIII. relata n. 448.

556. Dictio quancocius (inquit Bord. cit. num. 50.) idem valet, ac quam primum, importans spatium trium mensium in magnis, duorum in parvis. Bord. dict. 302. Saleles reg. 141. num. 95. ait intelligendum, nisi dilatio combustionis expediat ad formandum processum, vel ad convincendum reum de abusu illius; expedita ergo causa, comburantur libri. Ita ille.

557. Libri prohibiti ad tempus, donec corrigantur, defendendi sunt Inquisitori, aut Expurgatori ad id ab eo deputato intra terminum præscriptum; juxta dicta num. 553. quia facta expurgatione possunt absque nova licentia retineri.

558. Expurgator debet eos corrigere; juxta exemplar correctorii à Mag. Sacri Palatii, aut à Tribunali Inquisitionis confectò.

559. Non potest quis per se ipsum sine mortali eos expurgare, nisi de licentia Inquisitoris, aut Episcopi respectivè. Lupus p. 4. lib. 25. art. 4. diff. 1. pag. 465.

## QUÆRES I:

560. An aliquam censuram incurrat, & sit suspectus de hæresi, qui librum hæretici Inquisitori non consignat, sed propria autoritate comburit?

**L**eander cit. quest. 70. & 71. cum aliis tenet; non incurrere excommunicationem Bullæ Cœna, sed excommunicationem Julii III. & Pii IV. nam in Bulla Pii IV. Cum meditatio; apud Bord. in Man. Consult. scđ. 48. num. 54. præcipitur consignatio librorum prohibitorum, his verbis:

Monemus, ac eis, & cuilibet eorum in virtute sanctæ obedientiæ: & sub incursu hæresis, ac omnibus contra hæreticos de jure inflicis, & promulgatis, eam Ecclesiasticis, quam temporalibus sententiis, censuris, & penis.

Quod præceptum confirmavit Pius IV. anno 1564. per aliam Bullam, quæ incipit: Promovere.

561. Resp. comburentem per se ipsum librum hæretici peccare mortaliter, non esse autem suspectum de hæresi, & nullam censuram incurrere. Bord. cit. num. 53. & alii apud Leandrum cit.

Probatur. Peccat mortaliter; quia contra præceptum obedientiæ.

Non est suspectus de hæresi: quia comburendo non amat, sed odit hæresim.

Non incurrit excommunicationem Bullæ Cœna; quia Bulla Cœna relata num. 419. solum exprimit legentes, retinentes, imprimentes, & defendentes libros hæreticorum, & nullam mentionem facit de comburentibus.

562. Non incurrit excommunicationem Julii III. & Pii IV. n. 433. relata, de qua est difficultas. 1. Quia Alex. VII. num. 432. relatus omnes poenas in materia librorum prohibitorum reducit ad poenas, & formam Bullæ Cœna, Indicis, & Pii IV. super confirmatione dicti Indicis edita, quæ incipit: Demittit gregis. Ubi non infligitur censura non consignantibus, sed retinentibus, aut legentibus.

563. Secundo; qui ipse Julius III. & Pius IV. relati (ut advertit satis doctè Bord. cit. num. 54. & Pueron, apud Dianam part. 10. tract. 12. ref. 48.) præfatis poenis afficiunt non consignantes, minime ut non consignantes, sed ut retinentes, in quantum scilicet supponuntur retinere libros, quos non consignat. Constat ex ipis verbis ejusdem Bullæ prope finem, his verbis:

Volumus autem, quod iis, qui libros Luteranos, seu alios prædictos infra spatium, & terminum hujusmodi dictis Inquisitoribus consignaverint, nisi ipsi alias, quam ex retentione librorum hujusmodi hæretici, seu de fide suspecti fuerint, eo ipso etiam absque aliqua desuper faciendâ abjuratone, à censuris, & penis propterea factam incurris, in utraque foro absoluti sint, & esse censentur, prout Nos, &c.

Pura igitur non consignatio non afficitur censuram, bene verò retentio; idque etiam de libris prohibitis primæ classis, & à fortiori.

564. Eadem ratione, non consignantes, sed comburentes libros Catholicorum prohibitos, quia continent hæresim, aut falsi dogmatis suspensionem, incurrit censuram Indicis, de qua num. 431. minime ut non consignantes, sed ut notabiliter retinentes.

Rtr

Conf

Constat ex tenore ipsarum prohibitionum librorum secundæ clâsis, nempe Authorum Catholicorum, & novissimè, ex prohibitionibus, quas fecit Innoc. XI. Una: *Cùm sicut accepimus*, die 16. Sept. 1680. Alia: *Cùm sicut Nobis*, 26. Febr. 1687. Ubi sub excommunicatione majori interdicit lectiorem, & retentionem quorundam librorum; deinde absque ulla expressione censuræ præcipit, ut qui eos habuerint teneantur tradere, atque consignare locorum Ordinariis, vel Inquisitoribus, qui exemplaria sibi tradita illis flamis aboleri curent.

565. Non consignantes verò, sed comburentes libros, hereticorum hæresim non continentes, nec de Religione tractantes, aut libros Catholicorum prohibitos, non ob hæresim, vel ejus, aut falli dogmatis suspicionem, sed ob aliam causam, etiam si notabiliter retinentes, peccant mortaliter, sed nullam censuram incurunt, quia tales retentores nulla censura afficiuntur. Vide num. 449.

#### QUÆRES II:

566. An possit quis sine peccato libros hereticos per se comburere, si non valet eos sine suo gravi damno, aut periculo Inquisitoribus consignare?

**R**esp. affirmativè, si timor damni, & periculi sit verus, & prudens. Leand. de Cens. tract. 3. disp. 1. q. 17. Pueronius in Bulla Cæne, cap. 1. num. 108. Sanchez, Fagund. Trullench, & alii, apud illum. Quia lex humana non obligat cum tanto detrimento. Vide num. 271.

567. Sed difficultas est in assignando, cujus mali timor possit ex hujusmodi librorum non consignatione contingere. Pueronius cit. ait:

*Dicendum existimo, excusari eum, non solum, qui bona fide à se ipso combureret, sed etiam metu pœnæ, aut quia ipse librum composuerit, aut quia sine facultate legerit, vel retinuerit, à se ipso combureret. Nam aliàs, & finis*

*legis habetur, quod sollicit liber supprimitur, & ad simplicem actum obedientiam non videtur cum tanto discrimine esse obligandus.*

568. Sed ritè id non probat Diana cit. his verbis: *Sed ego non video, quare legens hereticum librum absque facultate possit illum comburere, & non potius Confessario præbere, ut illum deferat Inquisitoribus; & se observabit Constitutiones Pontificum absque periculo, & discrimine suo.*

569. Adde, hunc censeri sponte competentem. Hinc Julius III. num. 562. relatus, non consignantes ibi expressos, ex retentione, quam supponit, non præcipit, ut puniantur, sed illis indulget, ut facta consignatione, absque aliqua abjuratione, à censuris, & pœnis ex retentione incurris, eo ipso in utroque foro sint absoluti.

570. Melius Leander cit. assignat: *Cùm enim Domini Inquisitores, quando liber hereticus illis deferatur, interrogetur deferentem, unde illum habuerit, an illo usus fuerit, &c. hinc est quod aliquando possit contingere, grave aliquod damnum deferendi evenire.*

571. Illud mihi verum, quòd non potèss librum heretici Inquisitori deferre, vel quia ei opportunitas deest, vel quia aliqua rationabilis causa id non permittit, & inde sit astrictus librum diu apud se retinere, usquequòd opportunitas suppetat; tunc potèss illum propria autoritate comburere: quia ex una parte ad impossibile nemo tenetur. Vide num. 190. Et ex alia melius facit quis comburendo, quam serpente pulchrum visu, sed re pestiferum apud se, cum sui, aut aliorum periculo retinendo: sola curiositas humane conditionis novitatis amica connaturalis sufficientes dabit saltim ad legendum impulsus: Cujus autem fortitudinis se factabit luteum figmentum, ut in occasione labendi diu permaneat, ne frangatur, securum? Vide num. 465.

### PARS TERTIA.

## DE DENUNCIATIONIBUS FACIENDIS PRO CONFESSARIIS SOLICITANTIBUS.

Unum omnino hic monitum volo: Casus nimirum, qui in hac tertia parte exponuntur, figuratos, & fictos fere esse, non veros; & solum apponi, ut sint Confessariis lumen, ac regula ad Sacram. Pœnit. studiosè, ac vigilanter tractandum. Circa hoc vide in fin. hujus lib. noviss. Bull. Benedict. XIV.

#### CAPUT I.

### DE BULLIS, ET DECRETIS CIRCA ONUS DENUNCIANDI Confessarios sollicitantes.

572. Onus denunciandi Confessarios sollicitantes ad Sanctum Tribunal Inquisitionis habetur ex Const. Pauli IV. 16. Aprilis 1564.

Pii IV. 6. Aprilis 1564. Clem. VIII. 3. Decemb. 1592. Pauli V. 16. Sept. 1608. & Greg. XV. 30. Aug. 1622. quæ Bullæ differunt in hoc; quia Pius

Cle-

Clemens, & Paulus comprehendunt solum casum sollicitationis mulierum, in actu confessionis, pro Regnis Hispaniæ, Portugalliæ, & Algarbiorum; Gregor. verò dilatat, comprehendendo casus sollicitationis cujuslibet personæ, etiam extra occasionem confessionis in Confessorio, & pro toto Orbe terrarum, obligando insuper Confessarios, ut penitentes de tali obligatione moneant, his verbis:

#### GREGORIUS PAPA XV.

573. **U**niversi Domini gregis curam, &c. statuimus, decernimus, & declaramus, quod omnes, & singuli Sacerdotes, tam Seculares, quam, &c. Regulares cujuscumque dignitatis, &c. qui personas, quacumque illa sint, ad inhonestam, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis confessionis, sive ante, vel post immediatè, seu occasione, vel prætextu confessionis hujusmodi, etiam ipsa Sacramentali confessione non secuta, sive extra occasionem confessionis, in Confessorio, aut loco quocumque, ubi confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire; sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitis, & inhonestis sermones, sive tractatus habuerint, in Officio S. Inquisitionis severissimè, ut infra, puniantur, &c. Mandantes omnibus Confessariis; ut suos penitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes, seu, ut præfertur, tractantes, Inquisitoribus, seu locorum Ordinariis prædicis. Quod si hoc officium prætermisserint, vel penitentes docuerint, non teneri ad denunciandum Confessarios sollicitantes, seu tractantes, ut supra, videm locorum Ordinariis, & Inquisitoribus illos pro modo culpa punire non negligant, &c. Datum Romæ, &c. die 30. Augusti 1622.

574. Bulla igitur Greg. XV. est norma, & regula in hac materia, ita ut casus, qui in ea comprehenduntur, sint oneris denunciationis, secus qui aliter. Ut autem distinctius, & clarius procedam, singulas ejus particularis expendam, proprios singulis aptando casus. Interim Confessarios, qui suo muneri in tam gravi negotio satisfacere cupiunt, ut aures erigant, & studiosè animadvertant, horror.

#### CAPUT II.

##### DE PRIMA CLAUSULA.

Omnes, & singuli Sacerdotes.

#### QUÆRES I:

575. An Sacerdos jurisdictione carens, fingens eam habere comprehendatur sub dictæ clausula, & sit denunciandus?

**E**UM non comprehendi, & non esse exinde denunciandum tenet Bord. in Trib. Fidei, cap. 23. num. 64. & Leander de Sac. Pœnit. tract. 5. disp. 23. quest. 39. quia allati Pontifices, & ipse Greg. in sua

narrativa expressè loquuntur de Sacerdotibus deputatis ad confessiones; unde particulae posteriores Omnes, &c. referuntur ad priores, quia relatum est in referente. Barb. axiom. 201.

576. Resp. tamen omnino comprehendi, & esse denunciandum ex vi Bullæ Greg. Diana p. 4. tr. 5. ref. 8. Caltrapol. quia per particulas: Omnes, & singuli comprehendit omnes Sacerdotes, tam distributivè, quam collectivè, ut nullus qui sit Sacerdos, excipiatur; simplex autem Sacerdos non approbatus fingens, esse approbatum, verè, & propriè est Sacerdos; adeoque comprehenditur; nam eò ipso, quòd fingit, esse approbatum, habetur finis à lege Greg. expressus, ne pro medicina venenum, pro pane aspidem porrigat, in Ecclesiæ perniciem. Et ita, si penitens accedat pro confessione ad simplicem Sacerdotem, quem putat esse Confessarium, ille verò eam liquens, in bona fide excipiat, & in confessione, aut immediatè post, vel ante, etiam confessione non secuta, aut absolutione non data, sollicitet, est denunciandus. Suam sententiam renovat. Bord. in Man. Consult. de anno 1693. sct. 25. num. 5.

577. Ad rationem in oppositum, Greg. in principio Bullæ loquitur de Sacerdotibus deputatis, non ex propria mente, sed referendo expressè dispositiones suorum antecessorum, qui de deputatis loquuntur, illasque confirmat; & post earum confirmationem, in odium tanti sacrilegii, motu proprio dilatat onus denunciandi, tam quoad casus, quam quoad personas, tam sollicitas, quam sollicitantes, quod ut vidimus num. 572. alii Pontifices non fecerunt; unde dispositio Greg. referuntur ad Sacerdotem deputatum, non sub restrictione verè deputati, sed sub universalitate veri Sacerdotis; & quia simplex Sacerdos fingens se deputatum ad confessionem, est verè Sacerdos; idèò comprehenditur sub lege Gregor. Tum quia leges intelligenda sunt secundum proprietatem verborum, l. Non aliter, ff. de Legat. 3. l. fin. cap. de His, qui ven. Gloss. addit: Clem. II. de Rescrip. Barbof. axiom. 122. & lex generaliter loquens, generaliter est intelligenda, l. de Pretio, ff. de Publica in rem. act. in cap. Solita, de Major.

578. Nec officit, quòd à simplici Sacerdote non fieret Sacramentum, præsertim si non absolvetur. 1. Quia accusatio esset Sacramentum, quantum sufficit ad obligationem sigilli Sacramentalis. 2. Quia Greg. non requirit confessionem, ut patet per illas particulas: Confessione non secuta. Vide num. 625.

#### QUÆRES II:

579. An mandans, fingens se Sacerdotem, & interpres, si sollicitet, sint denunciandi?

**M**andantem Confessario, ut pro se sollicitet penitentem: Eum, qui se fingit Sacerdotem; cum non sit, & interpretem confessionis, si sollicitet in actu confessionis, aut immediatè, vel post, esse ex vi harum Bullarum denunciandos, asserunt Freitas, Escobar, & Trimarcius; quia habetur

Rrr 2

tur

tur finis legis, quod porrigant pro pane aspidem, in Ecclesie perniciem. Specialiter de mandante, suadet; quia qui per alium aliquid facit, est perinde, ac si per ipsum fiat. Et Interpres participat de actu Sacramentali, quatenus ad sigillum tenetur.

Resp. non esse ex vi harum Bullarum denunciandos, cum Diana p. 10. *trac.* 14. *ref.* 42. *part.* 1. *trac.* 4. *ref.* 15. *part.* 4. *trac.* 5. *ref.* 9. Leandro de *Sacram. Penit.* *trac.* 5. *disp.* 13. à q. 36. Caltrapol. *tom.* 1. *trac.* 4. *disp.* 9. *punct.* 9. *num.* 5. & nonnullis, apud ipsos. Probat, nedium quia odia sunt restringenda, sed etiam ex proprietate verborum legis. Nam lex expresse loquitur de Sacerdote, qualis non est Sacerdos fictus. Item de Sacerdote gerente munus Confessarii, cuiusmodi non est mandans, aut Interpres. Nec officit, quod mandans, aut Interpres sit Sacerdos, aut Confessarius, quia materialiter se habet cum possit esse laicus. Tum quia Interpres se tenet ex parte penitentis, non Confessarii, nam eo penitens utitur, quando deficiente copia Confessariorum, Confessarius, qui suppetit, est ejus lingue ignarus; & cum onus denunciandi sit expresse impositum contra Confessarum sollicitantem, non contra penitentem sollicitatum; Interpres sollicitans non comprehenditur.

Ratio in contrarium non obstat; quia licet militet idem finis, non militat eadem poena, quoniam lex eos non expresse, cum potuisset, quod indicat, eos comprehendere noluisse, juxta illud: *Lex si aliud voluisset, expressisset, l. un. §. Sini autem, C. de Caduc. coll. l. Si servum, ff. de Acquir. hered. §. Prator, vers. Non dixit, C. Audicendum, 21. Decemb. Pelliz. trac.* 6. *cap.* 2. *num.* 113. & *cap.* 6. *num.* 24. item ex *Reg. juris* in 6. *Reg.* 15. in *odiosis* non valet argumentum de casu expresse ad casum non expresse, de persona ad personam ex identitate, aut similitudine rationis: nam expressio rationis non extendit legem, quia lex odiosa non minus pendet à voluntate legislatoris, quam ab ejus ratione. *Rodr. tom.* 1. *q.* 11. *art.* 6. §. 14. & 47. *art.* 1. in *fine.* *Port. ver.* *Lex in Adit.* *num.* 13. *Bord. tom.* 4. *p.* 3. *ref.* 149. *num.* 59. & *com.*

Ex his sequitur, quod laicus, aut Clericus non Sacerdos, fingens se Sacerdotem, & Confessarium, si sollicitet, non sit denunciandus, bene verò Sacerdos, si fingat se Confessarium, secus, si non fingat se Confessarium. *Tancr. tom.* 4. *trac.* 1. *de Penit.* *q.* 21.

580. Dico tamen, eos esse ex alio capite, & ex aliis Bullis denunciandos. *Leander cit.* & *Diana p.* 9. *trac.* 9. *ref.* 32. quia sunt suspecti, in fide, quatenus abutuntur Sacramento, non minus, quam qui abutuntur hostia consecrata ad thesaurum inveniendum. Maxime ex *Confl. Greg. XIII.* contra eos, qui se Sacerdotes simulantes, confessiones excipiunt. Requiritur autem, ut absolutionem etiam dederint; quia non censentur Sacramento Penitentiae administrasse, si absolutionem non dederint. *Caltrapol. cit.*

## QUÆRES III:

481. *Confessarius sciens, hoc mane tali hora Catharinam ad ipsum accessuram pro confessione, posuit in Confessionario non Sacerdotem fingentem se Confessarium, qui mulierem accedentem sollicitavit, ut rem haberet cum ipso Confessario: An sit denunciandus?*

Resp. penitentem non teneri denunciare sollicitantem, quia non erat Sacerdos; nec ipsum Confessarium, quia est mandans, juxta dicta *num.* 9. *Tancr. tom.* 4. *de Penit. trac.* 1. *q.* 13.

Si verò quando fuit actus sollicitationis, sive in actu confessionis, sive proxime ad confessionem, sive in Confessionario, Confessarius fuit præsens, tunc est denunciandus, non minus, quam si dedisset mulieri scripturam sollicitationis domi legendam, ex *num.* 656. quia tunc ipse loqueretur inhonesta cum muliere, mediante alio tanquam instrumento sibi conjuncto, plus quam media scriptura. *Tancr. cit.*

## QUÆRES IV:

582. *Confessarius casu audivit confessionem cujusdam mulieris, quam ipsa faciebat cum alio Confessario, & cognoscens inde mulierem facilem ad peccata carnis, illam est immediate infectus post confessionem, & ab ea inhonesta requisivit: An denunciandus?*

Resp. non esse denunciandum. *Tancr. cit.* *q.* 27. quia Bulla loquitur de Sacerdote audiente confessionem, ut Confessario. Hic autem audivit furtim confessionem factam cum alio Confessario, & non ut Confessarius, materialiter enim se habet, quod sit Confessarius, quoniam talis auditor poterat esse laicus.

Eadem ratione *Diana p.* 10. *trac.* 14. *ref.* 42. §. Unde, ait: non esse denunciandum, qui tactibus, aut signis provocat mulierem, dum alteri confiteatur, quia licet inferat injuriam Sacramento, non inferat ut Confessarius, sed ut extraneus, qui potest esse laicus.

## QUÆRES V:

583. *An Confessarius sollicitans teneatur denunciare seipsum?*

Resp. non teneri. *Leander cit.* *q.* 42. *Diana p.* 1. *trac.* 4. *ref.* 8. quia nemo tenetur prodere seipsum, ex *cap. Aliquando, de Penit. dist.* 1. *vide num.* 698. & quilibet à denunciando excusat, quando ex denunciatione probabiliter, & prudenter timet periculum propriae famae, vite, & honoris, &c. quia præcepta humana non obligant cum gravi nocuimento. *Leander cit.* *q.* 44. *Peyr.* & alii, apud ipsum.

## QUÆRES VI:

584. *An mulier sollicitans sit denuncianda?*  
Resp. negativè, quia lex Confessarium, non penitentem sollicitantem exprimit. Hinc roboratur resolutio, *num.* 667. imò mulier denunciando, si ipsa consensit, non tenetur suum manifestare consensum, quia materia denunciationis est sollicitatio, seu actus inhonestus Confessarii, minimè mulieris, seu

seu penitentis. Constat ex *Bulla Greg. num.* 573. *Diana p.* 1. *trac.* 4. *ref.* 23. *Bord. in Man. Consult. sect.* 25. *num.* 168.

## CAPUT III.

## DE SECUNDA CLAUSULA.

*Personas, quacunque ille sint.*

585. SUB quibus terminis ex proprietate verborum, veniunt fœminæ, & mares, puellæ, & pueri rationis inexpertes; solent enim (ut advertit *Bord. cit. num.* 19.) parentes suos filios quinque, aut sex annorum præterente Confessariis, ut illos ad hoc Sacramentum paulatim alliciant; unde si tunc Confessarius aliquem puerum, aut puellam ex istis sollicitet, est omnino denunciandus.

## CAPUT IV.

## DE TERTIA CLAUSULA.

*Ad inhonestam.*

586. Nominè inhonesti veniunt solum actus veneri. Unde Confessarii sollicitantes in confessione penitentes ad alia crimina, puta furti, homicidii, non sunt denunciandi. *Diana p.* 1. *trac.* 4. *ref.* 20. *p.* 4. *trac.* 5. *ref.* 17. & ex *praxi DD.* Inquit, idque ex vi *Bullæ Greg.* ex alio autem capite sunt suspecti de hæresi, & cognoscuntur ab Inquisitoribus, ex abusu scilicet Sacramenti. *Bord. in Man. Consult. sect.* 25. *num.* 122.

587. Sollicitatio igitur, quæ onus denunciationis parit, est tentatio à Confessario adversus penitentem facta ad inhonestam. Ad inhonestam tentare dicitur provocando, invitando, aut alliciendo verbis, aut signis de se ordinatis ad actus venereos. Signa sunt oscula, tactus impudici, etiam sui ipsius Confessarii, tactus manuum penitentis sine causa, missio osculi manibus, studiosa compressio pedis, aut oculi, & similia signa amatoria, quibus amantes uti solent ad invitandum, aut alliciendum aliquam personam ad sui amorem.

588. Quod est verum, etiam si sollicitatio fiat per signa venialiter inhonestam, nempe leviter indicativa amoris lascivi, quia licet tales actus sint ex se leves, ex circumstantia tamen temporis ministrandi Sacramentum, cum qua sunt conjuncti, sunt graves, & mortales; ac proinde pariunt onus denunciationis. *Leander cit.* *q.* 12. *Diana p.* 10. *trac.* 14. *ref.* 44. contra *Soula*, *Caltrop.* & *Tancr. de Penit. trac.* 1. *q.* 10. *tom.* 4. dicentes, non esse denunciandum Confessarium, si penitentem tactibus ex se honestis tangat, solum ex circumstantiis venialibus, & penitens cognoscat, Confessarium non habere animum ulterius progrediendi, nec ipsam habere periculum consentiendi in grave peccatum; quia excommunicatio major in Edicto fulminat non fertur, nec ligat, nisi

pro culpa mortali. At hoc fundamentum ruit, quia hujusmodi actus aliàs leves, esse graves ex circumstantia ministerii, probatum est in *rom. l. de Voto.*

Ad onus denunciandi non requiritur, quod sequatur principalis effectus, per sollicitationem intentus, aut quod persona sollicitata consentiat, sed sufficit, quod sit attentatus, ut constat ex verbis sequentibus *Bullæ: Sollicitare, vel provocare tentaverint.* *Vide num.* 636.

## QUÆRES:

586. *Confessarius in confessione mulierem, quæ de tepido mariti amore querebatur, docuit artificia plures, que modis inhonestis allecivos, & remedia quædam applicanda vasi pariter ad alliciendum maritum: An sit reus sollicitationis, & denunciandus?*

Resp. affirmative; quia docuit meretricia cum alio perpetranda. Item quia locutus est provocativa ad motiones carnales in se ipsi.

## CAPUT V.

## DE QUARTA CLAUSULA.

*Sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda.*

590. Potesse Confessarium penitentem sollicitare ad inhonestam, sive fecerit, sive cum aliis habenda, gerendo munus infamis lenonis. Uno autem, aut altero modo sollicitet, est denunciandus. Etiam si penitentem sollicitet, ut ipsa cum alia mediet per fornicatione. Est *Com.*

## CAPUT VI.

## DE QUINTA CLAUSULA.

*In actu Sacramentalis Confessionis, sive ante, vel post immediatè.*

591. Quid sit sollicitare in actu Sacramentalis confessionis constat. Quid verò sit ante, vel post immediatè, est difficultas, quæ declaratur per sequentes casus.

Ex vi *Bullæ Greg.* non est denunciandus Confessarius sollicitans in aliis Sacramentis, nempe in administratione Baptismi, Matrimonii, &c. quia nulla de iis sit mentio. *Diana p.* 1. *trac.* 5. *ref.* 16. *Leander cit.* *q.* 10. qui advertunt, eum esse denunciandum Superiori, ut corrigatur, ut abusus Sacramenti, ob quod est suspectus de hæresi.

## QUÆRES I:

592. *Confessarius post auditam confessionem mulieris, accedit ad ejus domum, ibique, aut in itinere illam sollicitat: An sit denunciandus?*

Afirmant *Lezana in Sum. Q. Q. regul.* *c.* 19. *num.* 34. *Peyr.* & *Hurtadus de Matrim.* qui præferunt ait, peccatum carnis à Confessario cum penitente commissum intra 24. horas post confessionem esse casum denunciationis.

Negativè respondeo cum *Leandro cit.* *q.* 28. *Diana,*

na, Castropal. & aliis Ratio est, quia non sollicitat in actu, aut in loco confessionis, nec simulat confessionem, ut constat; nec ex praxitu confessionis, quia precedens confessio non fuit velata, sed vera. Nec occasione confessionis; quia occasio confessionis dicitur invitationem, etiam etiam provocacionem ante actum confessionis, ut in num. 598. quæ non habetur in casu. Et licet ad id interius sit motus in actu confessionis, ex quo mulierem illam audivit, aut vidit, id tamen per nullum signum externum expressit, quod requiritur, ut pena humane subiciatur. Nec denique quia immediate post, in quo solum est difficultas; nam per cit. DD. & per ipsum Hurtagum de *Iustitia*, fol. 299. illa sollicitatio dicitur facta immediate ante, vel post confessionem, quando inter confessionem, & sollicitationem, nec penitens, nec Confessarius divertitur ad aliud loquendum, vel faciendum; unde si data absoluteione, Confessarius, aut penitens ad extraneos actus se divertit, v. gr. audiendo Missam, &c. & sic diversus feminam sollicitet, non dicitur sollicitare immediate post confessionem: cum ergo totum eveniat in casu, non erit casus denunciacionis. Vide num. 609.

593. Id confirmat Bord. in *Trib. Fidei*, cap. 23. num. 55. cum Carena, & aliis, dicens: *ly immediate ante* incipere, quando penitens primo petit confessionem, vel ad eam jam expositum in Confessionario accedit; & definit, quando narrare incipit; unde intra illud spatium sollicitans, dicitur sollicitare immediate ante confessionem: si vero Confessarius, videns mulierem in stallu genitexam, sollicitat, non dicitur sollicitare immediate ante, cum non sollicitet intra illud spatium. *Ly immediate post* incipit ad data absoluteione, & definit, postquam penitens recessit è conspectu Confessarii genuflectendo extra locum confessionis in alio loco, ut solet; & tunc Confessarius è suo loco recessens, si accedat illuc, & sollicitet, non dicitur sollicitare immediate post confessionis actum: & ita multò minus, si in itinere, aut in domo. Item Bord. num. 37. addit, Confessarium dici sollicitare immediate ante, quando sollicitat penitentem ante se constitutum, & genuflexum; minime, si ante, licet petierit confessionem. Nec dici sollicitare immediate post, si eum sollicitet, postquam immediate recessit ad Confessarii pedibus. Vide num. 657.

Ceterum sententia affirmativa valde mihi ardet, si sollicitatio contingat eodem die, & ex peccato carnis in confessione audito, quia videtur facta, occasione confessionis, quia cognovit penitentem proclivem ad venerem. Et cum sit facta eodem die, dicitur facta in continenti: unde licet non sit immediata, est proxima confessioni; & ita tenet Bord. in *Man. Confulte*, sect. 25. num. 38.

## QUÆRES II:

594. *Mulier ad confessionem accessit, Confessarius ante Crucis signum eam prevenit, & dilata in aliud tempus confessionem, illam sollicitavit: An sit denunciandus?*

**R**esp. affirmativè Diana, & Comm. nam tunc dicitur sollicitare immediate ante, quia post accessum penitentis ad Confessarium expositum. Nec officit, quod confessio non sit secuta; quia in Bulla expressè habetur, quod Confessarius sollicitans sit denunciandus, etiam ipsa Sacramentali Confessione non secuta num. 610.

## QUÆRES III:

595. *Confessarius immediate post confessionem dixit mulieri: expecta me paulisper in Ecclesia; ipse autem à loco confessionis secedens, ad aliud opus se dirigit, tandem redit, & eam inveniens, sollicitavit: An sit denunciandus?*

**R**esp. esse denunciandum, si quando ad mulierem rediit, nullo habito cum illa tractatu antecedenti honesto, eam sollicitavit; quia hæc sollicitatio habet initium à confessione immediate post.

Si vero ante sollicitationem habuit tractatum de aliquo serio, & reali negotio, & post illum accidit sollicitatio; tunc est necessaria distinctio: vel enim sollicitatio incipit à muliere, quatenus hæc primo Sacerdotem provocavit ad inhonestam, vel incipit ab iplo Confessario? Si primum; Confessarius correspondens provocacioni mulieris non est denunciandus, bene vero si secundum. Quia in primo casu dignoscitur, quod verba illa: *expecta paulisper*, non fuerint ordinata ad sollicitationem, sed hæc per accidens, & independentes ab illis contigerit. In secundo autem dignoscitur, quod fuerint ordinata ad inhonestam, & quod tractatus antecedens fuerit artificiosè factus à Confessario ad palliandam sollicitationem, quoniam exitus acta probat: nec juvat, quod Confessarius revera, quando dixit *expecta*, habuerit intentionem solum tractandi negotium, non sollicitandi, licet postea per accidens sollicitaverit, non juvat inquam, si fuit primus ad sollicitandum; quia Ecclesia judicat de extrinseco, num. 596. & 628.

Quod si præfatus Confessarius non accessit tunc ad Ecclesiam, ubi, & quando dixit se expectandum, sed sequenti die eam provocavit ad inhonestam; videtur, quod non sit denunciandus, quia provocatio est à confessione remota, & prava illa intentio potuit contingere nocte intermedia. Vide num. 600. Tum quia in continentia facta non dicitur, die interposita, l. *Quod ait 32. s. Quod, ff. ad l. Jul. de adulter. Boid. in Man. Confulte*, sect. 25. num. 31.

## QUÆRES IV. TRIA.

1. *Confessarius statim post confessionem duxit ad cubiculum puerum, & sollicitavit.*
2. *Confessarius statim post confessionem dixit puero: Veni hodie ad meam domum, & tradam tibi chirographum tuæ confessionis: accessit puer, & Confessarius eum sollicitavit.*
3. *Confessarius penitenti penitentiam imposuit, ut ab ipso Confessario domi nuda discipline flagellis aspereretur, & id accidit: An huiusmodi Confessarii sint denunciandi?*

Resp.

596. **R**esp. affirmativè cum Diana 4. p. tr. 4. ref. 11. Leandro cit. q. 55. quia illi, & similes casus ratione dependentiæ includunt confessionem, & huiusmodi sollicitationes habent initium ex confessione per signum externum per se ordinatum ad inhonestam, datum in primo, & secundo immediate post confessionem: In tertio vero casu datum in iplo actu confessionis, nam penitentia est per se annexa actui confessionis. Quod tale signum externum fit per se ordinatum ad inhonestam, patet ex exitu, quoniam exitus acta probat. Item in primo casu sollicitatio est immediate post confessionem, quia nihil mediat inter ipsam, & confessionem, nisi ipsa conductio ad effectum sollicitationis. Et hæc ratione Confessarius, qui dat mulieri immediate post confessionem schedulam sollicitationis domi legendam, est denunciandus. Leander cit. q. 15. contra Castropal. vide num. 656. & ex simili ratione denunciandum diximus Confessarium, qui sciens feminam ad ipsum accedere pro confessione, ita ut velit statim confiteri, ipse vero eam statim præveniens sollicitet. Aut si mulieri confessionem petenti confessionem diffeudeat, & sollicitet; quia immediate ante sollicitat. Eadem ratione denunciandus est Confessarius, si in confessione suadeat mulieri, ut sibi domi venenda cõtendat, quæ infecta morbo dixit; huiusmodi enim sunt actiones inhonestæ à confessione per actum externum dependentes.

## QUÆRES V:

597. *Confessarius, audita confessione, nihil dixit puero, sed ipsemet postea tulit in eius domum chirographum confessionis, & de inhonestis egit: An denunciandus?*

**R**esp. non esse denunciandum, juxta dicta in num. 592. si nihil de hac delatione dixit puero in confessione. Bord. num. 67. quia tunc sollicitatio non est immediata, & proximè pendens à confessione, sed remotè. Ellet autem denunciandus, si proximè ad confessionem dixisset puero: *Ego ducam in tuam domum chirographum confessionis*, etiam si suam mentem inhonestam non expressisset, ob rationem de num. 596. vide num. 657.

## CAPUT VII.

## DE SEXTA CLAUSULA.

*Sen occasione, vel praxitu confessionis huiusmodi, etiam ipsa Sacramentali confessione non secuta.*

598. **H**æc duæ particule occasio, & praxitu, maxime sunt diversæ, quia occasio est confessionis verè petitiæ; praxitus vero est velamen, & color confessionis, quæ non est, aut falsa est. Dicitio enim *sub praxitu* idem significat, quod *sub velamine*, vel colore alieius rei, quæ non est, vel jam definit esse, seu falsa est. *L. Sub praxitu, C. de Translat. finit* pro claritate. Unde occasio con-

fessionis dicit invitationem ad confessionem veram; praxitus vero dicit invitationem ad confessionem coloratam, & fictam.

## QUÆRES I:

599. *Confessarius vocatus hodie à penitente ad audiendam ejus confessionem domi sequenti die, accessit sequenti die ad ejus domum, & eam confessione postposita, sollicitavit: An sit denunciandus?*

**R**esp. affirmativè Bord. cit. num. 38. quia violavit hanc particulam: *Occasione confessionis*: quoniam occasione sollicitandi accipit à confessione petita à persona verè confiteri volente, data illius temporis opportunitate.

Ut autem hanc particulam à præcedenti particula *immediate ante* distinguas, tres distinguo casus.

Confessarius tripliciter potest penitentem sollicitare. 1. Quando nulla facta prius petitione, penitens confiteri volens genuflectit coram Confessario exposito, qui ante Crucis signum illum prævenit, & sollicitat. 2. Quando facta prius petitione confessionis, Confessarius penitentem prævenit, antequam ille genuflectat, vel antequam ipse confessionem expecturus sedeat, & sollicitet, sive postea confessio sequatur, aut non. 3. Quando facta prius petitione confessionis, Confessarius sedeat, & penitentem genuflectum, antequam narrare incipiat, sollicitet. In 1. casu Confessarius est solum violator particule *immediate ante*, ut dixi in n. 592. & 593. & non alterius particule, *occasione confessionis*, quia occasio dicit invitationem, quæ in casu non præcessit actum confessionis. In 2. casu, est violator solum posterioris particule, *occasione confessionis*; quia præcessit invitatio. In 3. autem casu est violator utriusque particule, & quia sollicitat occasione Confessionis, nam præcessit invitatio, & quia immediate, ante, ob dicta superius.

Si autem nulla facta petitione confessionis, Confessarius sollicitet mulierem in Ecclesia existentem, non est denunciandus, etiam si statim post sollicitationem mulier confessionem petat ab eodem; si ille post petitionem non sollicitet, quia occasio, & praxitus, uti causæ, debent præcedere effectum sollicitationis. Bord. in *Man. Confulte*, sect. 25. n. 32. Vide n. 596.

## QUÆRES II:

600. *Confessarius post audiam mulieris confessionem, & ibi ejus adulterium, accedit ad ejus domum, ibique, aut in itinere illam sollicitavit, & cum mulier remissam, Confessarius subjunxit: cum aliis es adulterata, bene potes mecum: An sit denunciandus?*

**V**idetur, quod non; nam si esset denunciandus, maxime ex illa clausula: *Ex occasione confessionis*, sed non ex ea; quia occasio dicit invitationem, aut provocacionem ante actum confessionis, quæ nulla præcessit; igitur non est denunciandus, ut dictum est in 1. casu, num. 592.

Resp. tamen esse denunciandum, nedum ut fractorem sigilli, verum etiam, ut reum sollicitationis ex

occasione confessionis, nam iste occasionem sollicitandi desumpsit ex confessione audita, quod ipsemet exprimit per signum externum; per allata verba sub iuncta mulieri, quod signum externum non habetur in casu de num. 592. & idem eum excusavimus; unde cum in hoc casu esset ratio excusationis, cessare debet excusatio, & solum dico, non esse denunciandum ex vi sollicitationis, si distantia physica esset tanta, v. gr. plurium dierum, ut sollicitatio prudenter non conferretur moraliter cum confessione conjuncta. Vide num. 595.

Ad rationem in oppositum, dico, id esse verum de occasione confessionis faciendæ, minimè de occasione confessionis, dum fit; quæ quidem parit onus denunciationis, non minus quàm illa, si exprimat per signum externum.

### QUÆRES III:

607. Confessarius amore captus consilium mulieris, non expectat, ut invitetur, sed ipse eam pro sequenti die ad confessionem invitavit: accedit ad Ecclesiam mulier, & Confessarius nihil de confessione curans, imò ne det locum mulieri, ut verbum nullum de confessione loquatur, illam ante januam Ecclesie expectat, & ibi sollicitat: An sit denunciandus?

R Esp. affirmativè. Bord. cit. num. 39. quia est violator illius particulæ: prætenu confessionis: sollicitat enim ex colore confessionis.

### QUÆRES IV:

602. Mulier facta conversatione cum Sacerdote de peccato carnis, agnoscens difficultatem executionis pro familiaribus domus, agrotam se fingens, eum de eisdem prævio consilio vocavit sub prætextu confessionis, & ita rem habuerunt: An talis Sacerdos sit denunciandus?

A Firmat Fagundes lib. 6. in Dec. cap. 12. n. 17. cum Sanctio; quia sumpsit ad inhonestam opportunitatem ex confessione.

Negant Diana 4. p. tract. 5. ref. 37. Freitas, & Leander cit. q. 24. quia in casu, prætextus confessionis non est per se, & proximè ordinatus ad sollicitationem, seu ad inhonestam, sed remote; proximè enim, & per se est ordinatus tanquam medium ad averterendum familiares domus à scandalo, & suspicione mali: nec res habita, aut sollicitatio habet ortum ex prætextu, sed ex tractatu prævio. Idem tenet Tanc. tom. 4. tr. 1. de Pœnit. q. 19. si mulier vocet in sui domum Confessarium ex compacto fingens, velle confiteri, ut sic decipiat Superiorem ad dandam licentiam excundi, & tunc rem habeat. Vide num. 604.

Omnino autem est denunciandus, si inhonestam tractans confessionem simulat ad astantes illudendos, etiam si simulatio fiat ex condito mulieris; quia sola simulatio confessionis in sollicitatione onus denunciationis parit, num. 631.

### QUÆRES V:

603. Mulier non ex compacto, sed verè calore con-

fessionis vocavit in sui domum Confessarium, qui cum accessisset, à muliere provocatus, habuit rem cum illa. An denunciandus?

R Esp. esse denunciandum. Tanc. cit. q. 19. quia verè habuit inhonestam cum muliere prætextu confessionis.

### QUÆRES VI:

604. Confessarius Regularis ad facilius obtinendam à suo superiore licentiam excundi, sinit sibi oportere exire à Monasterio ad audiendam confessionem suæ penitentis infirmæ, quam tamen non vult audire, sed inducere ad inhonestam, idque in effectu accidit: An denunciandus?

R Esp. non esse denunciandum. Bord. n. 58. quia si esset denunciandus, maximè ex prætextu, vel ex simulatione confessionis. Non ex prætextu; nam prætextus est color confessionis cum ipsa penitente, non cum tertia persona. Nec ex simulatione; quia simulatio attenditur respectu loci, non respectu tertia personæ; fit enim per ipsam factum confessionis in actu secundo simulatum in loco; in casu autem solum fingitur Superiori futura confessio. Vide n. 602.

### QUÆRES VII:

605. Mulier vocavit in suam domum Confessarium, non confessionis, sed solum consilii causa, quo dato, Confessarius ab ea inhonestam quasivit; at quia illa respondit, se nolle assentiri ob verecundiam, quam habet in confitendo peccato carnis, Confessarius subiunxit, se ejus confessionem excepturum, quando ei placuerit: An sit denunciandus?

R Esp. non esse denunciandum, Lupus de Inquis. p. 1. lib. 5. diff. 7. & Bord. cit. n. 41. Ratio est, quia in hoc casu nulla adest conditio ad onus denunciationis à Pontificibus requisita: Ostenditur discurrendo per singulas: Hæc inquam sollicitatio ad inhonestam non fuit in actu confessionis, ut constat Non immediatè ante, quia mulier non accessit pro confessione: Non immediatè post, quia ejus confessionem non exceperat, & quando postea excepit, eam absque ulla sollicitatione dimisit: Non in Confessionario, aut simulando confessionem, ut patet Non occasione confessionis: quia ad sollicitationem non præcessit invitatio ad confessionem: Nec demum ex prætextu confessionis, quia nullum præcessit velamen confessionis. Et cum non sit alia conditio, quæ onus denunciationis Confessarium sollicitantem pariat; sequitur, quod talis Confessarius non sit denunciandus.

Non oblat autem, quod consensus mulieris ad turpia dependeat postea à confessione, qua non præmissa, eum Confessarius non obtineret. Quoniam licet consensus mulieris à confessione dependeat, non sic sollicitatio; Bulla vero solum loquitur, & disponit de sollicitatione Confessarii, minimè de consensu mulieris sollicitatæ.

606. Ex his colliges capita denunciationis ex vi sollicitationis singillatim sufficientia ad onus denuncian-

ciandi esse septem. 1. Actus confessionis. 2. Immediatè ante. 3. Immediatè post. 4. Ocasio confessionis. 5. Prætenu confessionis. 6. Confessionarium. 7. Simulatio confessionis.

### QUÆRES VIII:

607. Mulier accessit ad Confessarium dicens, se velè sequenti die confiteri, Confessarius autem non sequenti die quando hac pro confessione accedere debet, sed tunc eam sollicitat extra Confessionarium, nec confessionem simulans: An sit denunciandus?

NON esse denunciandum, tenet Leander cit. q. 20. Caltrapol. tom. 1. tract. 4. disp. 9. punct. 8. num. 4. Sancius, & Trullench apud Leander; quia tunc sollicitatio non est proxima confessioni faciendæ, sed est proxima conventioni de illa agenda. Idem tenet Tanc. tom. 4. tract. 1. de Pœnit. q. 16. qui solum dicit esse denunciandum, si mulier dicat, se velle non cras, sed statim confiteri, & Confessarius dissuadeat, & inhonestam tractet, &c. Vide num. 596.

608. Ego tamen puto esse denunciandum ratione illius particulæ: Ocasione confessionis: quia ex invitatione ad confessionem sequenti die faciendam sumpsit Confessarius occasionem, & opportunitatem sollicitandi. Undè licet sollicitatio non sit proxima confessioni, est proxima petitioni confessionis. Item quamvis invitatio, & occasio confessionis non sit proxima confessioni physice, & quoad tempus, est illi proxima moraliter, & quoad ordinem ex intentione ipsius mulieris, quæ talem petitionem per se ordinavit ad confessionem sequenti die faciendam; ex quo fit, quod ejus petitio hodie facta censetur moraliter cum confessione crastina conjuncta, non minus quàm volitio efficacis occidendi cras inimicum est moraliter cum crastino homicidio conjuncta; ex quo fit, quod quando in confessione exprimitur homicidium, non fit talis volitio exprimentis; non alia ratione, nisi quia hæc volitio hesternam non est moraliter interrupta ab hodierno homicidio.

Ratio igitur ad oppositum, quod sollicitatio, non sit proxima confessioni faciendæ, solum probat, quod Confessarius non sit denunciandus ex vi aliarum particularum: immediatè ante, vel post: non probat autem, quod non sit denunciandus ex vi hujus particulæ: Ocasione confessionis. Post hæc scripta inveni pro mea sententia. Bord. in Man. Consult. sect. 25. num. 33.

Hæc mea decisio corroboratur ex primo casu, num. 599. ubi nulla est in confessio, & sollicitatio distat per diem ab invitatione ad confessionem, & tamen Confessarius sollicitantem denunciandum esse diximus.

### QUÆRES IX:

609. Mulier accessit ad Confessarium, ut statim confiteretur, Confessarius autem eam dissuasit ex mala intentione, ut postea illam provocaret ad inhonestam, ac

tunc nihil dixit, nec per aliquod signum prayam intentionem ostendit, sed recedente muliere, accessit ad ejus domum, & ibi, aut in itinere, seu in Ecclesia sollicitavit: An sit denunciandus?

VIdetur, quod sit denunciandus, quia talis sollicitatio est facta occasione confessionis, & incepta immediatè post petitionem confessionis per ipsum actum dissuasitionis, qui fuit inhonestus; utpotè factus animo postea provocandi ad inhonestam; actus enim specificatur à fine; & solum non videtur denunciandus, quando ex circumstantiis constaret, quod dissuasio non fuerit facta in malum finem, licet postea per accidens sequeretur tractatus inhonestus, uti supra in via, &c.

Resp. negativè Tanc. tom. 4. tract. 1. de Pœnit. disp. 7. q. 16. pag. 126. ubi dicit, hæc esse sententiam communem. Ratio est, quia supposita ea mala intentione, Confessarius melius, seu minus malum facit dissuadendo mulieris confessionem, & ab ea se eximendo, quam eam excipiendo, nam sic liberatur à sacrilegio, quod incurreret ministrando in peccato mortali; sed si confessionem excepisset, provocando postea in itinere, &c. non esset sollicitator in confessione, nec occasione confessionis, ac proinde non esset denunciandus, ut diximus in num. 592. ita à fortiori in hoc casu.

Præterea dissuasio illa, si attentè consideretur, non est inhonestam, quia ejus finis non est provocatio futura, sed vitatio sacrilegii, & periculi sollicitandi in confessione, stante intentione postea mulierem provocandi, quia finis est in se bonus; & solum concomitanter se habet ad intentionem postea provocandi. Simili ratione dicimus in tom. 1. de Voto, esse honestam, & tenere votum, quando voves cleptomynam, si non capiaris in furto, si obtineas prolem ex adulterio, quod intendis; quia tunc finis voti est salus, & proles, quæ sunt in se bona; furtum verò, aut adulterium non est finis, aut effectus à voto intentus, sed solum concomitantem se habet.

Similiter ob eandem rationem, si Petrus tentatus à virgine ad rem, volens fornicationem, & volens vitare periculum quod indè immineret, fornicationem dissuadeat, intendens illam ad sola oscula provocare, talis dissuasio inhonestam non esset, licet conjuncta cum intentione mala oculatorum; qui solum concomitantem ad illam se haberet.

Tum quia talis dissuasio materialiter, & per accidens se habet ad provocationem mulieris; nam Confessarius, etiam si ejus confessionem excepisset, posset postea in itinere, &c. eam provocare abique eo, quod esset denunciandus. Vide num. 592. & 593.

Cum igitur talis dissuasio confessionis non habeat pro suo fine provocationem ad inhonestam postea faciendam, nec fit effectus, aut medium intentionis illius, sed solum concomitantem se habeat, non videtur inhonestam contrahere, nec esse casus denunciationis.

Talis tamen esset, si dissuasio confessionis ita-

tim post petitionem factam, Confessarius immediate subjungeret aliqua verba, aut signa cum futura provocatione connexa, & ad illam ordinata, v. gr. si diceret mulieri: *Non cures modò confessionem, quia prius habeo tequam loqui.* Aut aliquod signum adderet pravam intentionem indicans, de quibus *num. 587. & à num. 645. ad 663.* tunc quidem esset casus denunciationis, quia provocatio futura esset incepta per illa verba, aut signa immediate post confessionis petitionem, juxta dicta *num. 595. 596. 600. & 659.*

## QUÆRES X:

610. *Mulier accessit ad Confessarium scilicet dicens se velle confiteri; Confessarius autem confessionem dissuasit, & statim traxit inhonestam. An denunciandus?*  
**R**esp. esse denunciandum. Tancr. *cit. q. 19.* quia Confessarius nesciens fictionem mulieris, verè ex parte sui traxit inhonestam occasione confessionis.

## CAPUT VIII.

## DE SEPTIMA CLAUSULA.

*Sive extra occasionem confessionis in Confessionario.*

## QUÆRES I:

611. *Confessarius extra confessionem; nec simulans confessionem, in Confessionario sedens sollicitavit mulierem pariter ante Confessionarium stantem, aut sedentem. An sit denunciandus?*

**N**egant esse denunciandum Leander *cit. quaest. 301* & apud ipsum, Freitas, Fagundes, Souza, Castro pal. Lezana, Saneius, Hurtado, Bolsius, Donatus *tom. 3. tract. 13. q. 53.* & alii. Quorum ratio est solutio fundamenti oppositi, nimirum, quia Gregor. XV. per suam Bullam universalem editam 30. Augusti 1622. Decretum Pauli V. declaravit, mitigavit, aut restrinxit ad terminos simulationis per illa verba: *Sive extra occasionem confessionis in Confessionario, aut in loco quocumque, ubi confessiones audiuntur, simulantes ibidem confessiones audire.* Ubi Pontifex comprehendit casum nostrum, sed illi addit simulationem; cum igitur in casu non sit simulatio, esto habeatur sollicitatio in Confessionario, habetur sacrilegium, sed non casus denunciationis.

Resp. tamen esse denunciandum. Diana *part. 1. tract. 4. ref. 18. part. 4. tract. 5. ref. 58.* Bord. in *Sacro Trib. cap. 23. num. 6.* Elcobar, Trullench apud Leandrum *cit.* resolutio expressè habetur in Decret. Pauli V. ut sequitur:

612. Feria 5. die 10. Julii 1614.

**I**n Generali Congr. S. Rom. & Univ. Inquis. habita in Palatio Apost. coram SS. D. N. D. Paulo V. & c. facta relatione, quod multi Confessarii tractant cum mulieribus in confessionali, extra occasionem confessionis, de rebus inhonestis; SS. decrevit ut contra hujusmodi Confessarios procedatur in S. Officio.

Falsum autem est, quod Greg. XV. prædictum

Decretum restrinxerit ad terminos simulationis. Quia Pontifices in materia sollicitationis semper dilatavere, non restrinxerunt onus denunciationis, ut constat, ex *num. 573.* & præsertim Greg. qui per allatas particulas: *Sive extra occasionem confessionis in Confessionario: expressè confirmat Decr. Pauli V. 2.* Quia in his verbis: *Sive extra occasionem confessionis in Confessionario, aut in loco quocumque, ubi confessiones audiuntur, simulantes ibidem confessiones audire: particula aut, cum sit disjunctiva, distinguit, & disjungit casus: ex quo fit, quod sicut particulae posteriores non possunt conjungi cum prioribus, neque ly simulantes, cum sit terminus restrictivus posteriorum, potest conjungi cum prioribus. Unde per priores particulas habet respectum ad injuriam loci, ut potè ad Tribunal ordinarium Sacramentalis iudicii, non ad confessionem, nam expressè confessionem excludit per particulam: *extra occasionem confessionis: & idèd non requirit simulationem.* Per posteriores vero particulas habet præcisè respectum, non ad locum, sed ad confessionem, & ad eius injuriam; & ideo requirit simulationem, ut terminum restrictivum particulae: *aut in loco quocumque.* Alioquin omnia peccata carnis à Confessario commissa, aut attentata, essent denuncianda, quia in aliquo loco committuntur; aut attentantur. Et hic est germanus sensus Bullæ Greg.*

## QUÆRES II:

613. *Mulier volebat quoddam suum familiare negotium Confessario extra Confessionarium communicare; ille autem pravam habens animam, ut liberius ageret, eam duxit ad Confessionarium; & ibi confessionem non simulans; eam sollicitavit. An sit denunciandus?*

Resp. affirmativè constat ex priori casu.

## QUÆRES III:

614. *Confessarius dum audiebat confessionem unius mulieris; ea non advertente, fecit signa inhonestam alteri ante conspectum existentem. An denunciandus?*

**R**esp. cum distinctione: si mulier, cui fuerint facta signa, existebat ante conspectum Confessarii expectans confessionem, uti regulariter mulieres expectantes extare solent quòd faciliter ex circumstantiis dignoscitur, est denunciandus, ut sollicitator occasione confessionis; quia illa expectatio est virtualis petitio confessionis.

Si verò non existebat ibi expectans confessionem, sed casu, aut alio fine; tunc, si signa fecit in Confessionario est denunciandus; uti sollicitator in Confessionario, juxta dicta à *num. 618.*

Si autem, non in Confessionario, sed in alio loco, non est denunciandus; quia respectu ad talem mulierem nullo pacto potest habere locum simulatio, aut respectus confessionis, quæ sunt alia capita denunciationis. Est solum tunc esse denunciandus, si illa una mulier, cujus confessionem audiebat, signa alteri facta perceperit. Tunc quidem esset denunciandus, ut violator quartæ clausulæ: *Sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda,*

CA-

## CAPUT IX.

## DE OCTAVA CLAUSULA.

*Aut in loco quocumque, ubi confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire.*

615. **R**ecte Bord. *cit. num. 43.* advertit, Bullam Greg. tria loca distinguere, ubi confessiones audiuntur. Primus est confessionale ordinarium, quod confici solet ex ligno, habens laminam ferream quæ foraminibus parvis, quodque in Ecclesia collocatur. Qui locus est expressus per priorem particulam in Confessionario.

616. Secundus est locus quicumque ab illo distinctus, ubi confessiones audiuntur: tales sunt in domibus Religiosis Cellulae quaedam in primo claustrò, aut in Sacristia: hic secundus locus exprimitur per particulas: *aut in loco quocumque, ubi confessiones Sacramentales audiuntur.* In aliquibus autem ex præmissis cellulis non sunt nudæ sedes, aut scamna, sed adaptatam video tabulam cum lamina ferrea minutim perforata, ad usum latius ejus est sedes pro Confessario, ad alterum genuflexorium pro penitente: tabulam sic aptatam dico spectare ad locum primi generis, ac præcisè comprehendi sub particulis prioribus de *num. 611.* quia habet formam Tribunalis ordinarii sacramentalis iudicii, & pro tali effectu specialiter, ac præcisè constructum; unde Confessarius, qui ibi extra occasionem confessionis, nec confessionem simulans, adolefcentem sollicitaret, denunciandus esset, juxta ibidem dicta.

617. Tertius locus est ille, quem Confessarius ex sui placito pro eo tempore, quò confessionem excipit, eligit. Hic potest esse in scamno, in Ecclesia, in foro, in domo, in agro, in monte: & ubique: genuflexoria in Sacristiis pro preparatione Sacerdotum ad Missam, & pro gratiarum actione destinari solita ad locum secundi, aut tertii generis spectare non dubito, quando in eis confessiones audiuntur. Hic tertius locus exprimitur his particulis: *seu ad confessionem audiendam electo.* Per has ergo particulas non exprimitur locus primi generis, nempe Confessionarium ordinarium; quia leges non patiuntur clausulam superfluum, aut quæ cum alia confundatur. Gloss. in *l. Quod metu. cit. num. 44.*

618. Hic me cohibere non possum, ne acriter reprehendam Confessarios illos, quos meo iusto abominacionis odio tam præexcellens ministerium, etiam erga mulieres exercere insipio in scamnis Ecclesiarum, in Capellarum gradibus sedentes, uti neglecta mulierculæ, ac indiscriminatim in aliis despectis locis. Erubescant, & vereantur, dignitatis, qua insigniuntur, & muneris, quo funguntur, sint memores: sunt sacri animæ iudices, iudices temporales corporis intuentur. Invigilent Superiores, & hujusmodi contemptibiles haud patiantur: sed à confessionibus,

quas impudenter excipiunt, ut suspendant, moneo.

In locis ergo secundi, & tertii generis, ut in sollicitatione habeatur onus, & casus denunciationis, requiritur confessio, ut in *cap. 6.* vel simulatio confessionis, non sic in loco primi generis, ut in *cap. 8.*

## QUÆRES I:

619. *Confessarius quidam Monialium extra occasionem confessionis, nec confessionem simulans, sedens tamen ad cratem, ubi solent Monialium confessiones audiri, sollicitavit Monialem, illicitos, ac inhonestos sermones habendo. An sit denunciandus?*

620. **S**ancius, *disp. 11. propè finem, apud Bord. cit. num. 45.* tenet, non esse denunciandum, quia ille est locus communis, & differens, qui tamen definitur pro eo die, quò deputata pro Confessionario, & eo die sollicitationem ab eo factam esse casum denunciationis.

621. Pro resolutione tamen est necessaria distinctio. Crates enim Monialium sunt duplicis modi, primi modi sunt crates per se destinatae ad loquendum; quæ dicuntur locutoria; & extare solent, nedum extra Ecclesiam in parlitorio communi, verum etiam in ipsa Ecclesia. Secundi modi sunt crates per se, & specialiter deputatae ad confessiones, à cratibus in eadem Ecclesia ad loquendum destinatis distinctæ, quæque in nonnullis Monasteriis solent esse consecræ laminis perforatis minutim, uti Confessionario rum laminæ.

622. Resp. præfatum Confessarium Monialium, si inhonestos sermones, aut tractatus habuit cum moniali in crate primi modi, non esse denunciandum, bene verò, si in crate secundi modi. Ratio primi est, quia crates primi modi est indifferens ad loquendum, vel ad confessionem audiendam; imò est per se ordinata ad loquendum, adeoque spectat ad locum tertii, aut ad summum secundi generis, ubi ad hoc, ut sollicitatio onus denunciationis pariat, requiritur confessio, aut simulatio confessionis, quæ non habetur in casu.

623. Ratio secundi est, quia crates secundi modi non est indifferens, sed per se, ac specialiter deputata ad confessiones, & solet esse constructa modo specialiter à cæteris distincto; hinc habet rationem veri Tribunalis ordinarii sacramentalis iudicii, & loci primi generis comprehensivi sub prioribus particulis Bullæ Greg. *sive extra occasionem confessionis in Confessionario.* Quod maximè suadet, quia Abbatissæ, & Superiores reprehendere solent Moniales, quæ in locis illis familiares discursus distinctos ab eis, quæ ad confessionem, aut spiritualem animæ instructionem pertinent, cum exteris audent habere; cum autem sollicitatio in locis primi generis, ut onus denunciationis pariat, non requirit confessionem, aut simulationem confessionis; sequitur quòd præfatus Confessarius sollicitando, seu inhonestos sermones, aut tractatus habendo in cratibus secundi modi sit denunciandus.

Sss 2

Si

624. Si verò detur casus, quod in aliqua Monialium Ecclesia non sit nisi una crates communis, tam ad confessiones, quam ad loquendum, tunc potest habere locum placitum Doñoris Sancii, quatenus esset locus indifferens ad utrumlibet.

625. Hic locuti sumus de Confessario Monialium, unde non est Sermo de Sacerdote approbato pro Sæcularibus, non approbato tamen pro Monialibus, quia hic non est Confessarius pro Monialibus; unde sicut Sacerdos non approbatus pro Sæcularibus non comprehenditur in Bulla Greg. nisi fingat se Confessarium; ita neque Sacerdos approbatus pro Sæcularibus, non approbatus pro Monialibus comprehenditur in Bulla Greg. nisi fingat se Confessarium Monialium. Vide num. 575. Tancr. tom. 4. tr. 1. de Penit. quest. 18. Vide num. 579.

#### QUÆRES II:

626. Confessarius in scamno selens, exceptis plurimum confessiones, immediate tamen accessit mulier, non ut confiteretur, sed ut loqueretur cum Confessario: genuflexa igitur est eum allocutus: Confessarius autem non simulans ex parte sui confessionem audire, eam sollicitavit. An sit denunciandus?

Videtur, quod sit denunciandus, quia ex Bulla Greg. siue in Confessionario, siue in loco quocumque extra confessionem simulatur confessio, habetur casus denunciationis; ita est præsens casus, quia status feminae genuflexa in loco, ubi immediate sunt confessiones exceptæ à Confessario, est simulatio confessionis.

627. Resp. tamen non esse denunciandum. Sequitur à fortiori ex Leandro tract. 5. de Penit. disp. 3. quest. 31. cum aliis, qui proponens similem casum in Confessionario, ait, non esse casum denunciationis.

Et quamvis, num. 611. affirmaverim, esse casum denunciationis, si contingat in Confessionario, nedum genuflexa, sed etiam stante muliere; id nego, si veniat extra Confessionarium, etiam genuflexa muliere. Vide num. 629.

Ratio est, quia non habetur simulata confessio, nam ista genuflexio feminae ante Confessarium post aliorum confessiones immediate exceptas, est signum indifferens, ac proinde non est sufficiens, ut adstantes intelligant, confessionem ibi fieri, quoniam solent mulieres cum Confessario, nedum ante scamnum, sed etiam ante Confessionarium, & ibi genuflexa loqui, ac negotia pertractare: igitur cum Confessarius ex parte sua non simulat confessionem, ut si manum ad faciem teneret, ut in auscultando confessiones fieri solet, &c. sed potius per signa faciei, & manus oppositum ostenderet, genuflexio illa ex parte mulieris est signum indifferens, & insufficientis confessionis.

628. Imò gratis dato, & non concessio, quod allata genuflexio ex parte mulieris sit simulatio confessionis, adhuc non habetur casus denunciatio-

nis; quia hoc onus non se extendit ad plus, quam ad verba Bullæ, & legis, quæ comprehendunt præsertim simulationem se tenentem ex parte Confessarii, per illa verba: *Sacerdotes simulantes confessiones audire.*

Confirmatur: potest dari casus, quod Confessarius sollicitans mulierem genuflexam non sit denunciandus; & quod sollicitans mulierem non genuflexam sit denunciandus; igitur genuflexio mulieris est de se indifferens ad onus denunciationis. Assumptum suadetur: nam si Confessarius extra Confessionarium, & confessionem stans, aut ridens sollicitaret feminam genuflexam, non esset denunciandus, è contra, si extra Confessionarium, & confessionem in alio loco, applicatus tamen sicut ad audiendam confessionem, sollicitaret feminam coram ipso sedentem, esset denunciandus: ubi ratio discriminis non est genuflexio, quia non habetur in secundo casu, qui tamen est casus denunciationis; igitur est sola simulatio ex parte Confessarii, quæ habetur in secundo, minimè in primo, ac proinde mulieris genuflexio est de se indifferens ad onus denunciationis. Vide num. 633.

629. Hanc tamen resolutionem omnino regulatam volo cum advertentia in num. 634. adducenda, nimirum, quod si genuflexio mulieris non sit pura genuflexio, & talis, qualis haberi communiter solet à mulieribus extra confessionem præcisè alloquentibus, sed sit circumstantiata signis, ut adstantes prudenter judicent, confessionem audiri, & Confessarius talem genuflexionem permittat; tunc habetur casus simulationis, ac proinde Confessarius sollicitans est denunciandus.

#### QUÆRES III:

630. Confessarius, & mulier, ut liberius inhonestè tractarent, conveniunt ambo simulare confessionem, & sic egerunt. An Confessarius sit denunciandus à muliere?

Negat Caltropal. tract. 4. disp. 9. part. 8. etiam si id fuerit in Confessionario, dicens, nemini incumbere obligationem denunciandi; non Sacerdoti, ut constat; neque penitenti, aliàs esset obligatus denunciare seipsum.

Resp. mulierem omnino teneri denunciare Confessarium, etiam si id contigerit extra Confessionarium. Ratio est 1. Quia talis Confessarius est verè simulans confessionem audire, adeoque comprehensus in Bulla Greg. 2. Quia si conventio simulationis impediret onus denunciandi, nunquam posset dari casus, quod præcisè clausula simulationis prætererit onus denunciationis, adeoque esset superflua, nam quando simulatur confessio, certum est, quod id sciat mulier, & consequenter, quod non intendat confessionem. 3. Quia simulatio est ex conducto utriusque, ut modo patebit. 4. Quia mulier non tenetur exprimere suum consensum, & suam conventionem, num. 667.

QUÆ

#### QUÆRES IV:

631. Quid importet simulatio confessionis qua onus denunciationis parit?

Resp. cum Bord. de Inquis. cap. 23. num. 43. simulatio confessionis tunc habetur, quando tam Confessarius, quam mulier ex conducto sine intentione confessionis eam fingunt signis externis sufficientibus, ut adstantes intelligant ibi hic, & nunc confessionem audiri. Unde simulare confessionem est sollicitationem intentam confessione ficta velare.

632. Signa externa simulationis ex parte Confessarii sunt, sedere in loco convenienti, benedicere mulierem, manum ante faciem tenere, ut in auscultando confessiones fieri solet, & demum manum supra caput ejus extendere, fingendo illam absolvere. Ex parte autem mulieris signa sunt genuflexio, signum Crucis, percussio pectoris, manuum conjunctio, collocutio humilis cum Confessario, quæ exteriùs apparet accusatio peccatorum. Ita Bord.

633. Dicitur sub conducto: quia si unus illorum intendit confessionem, & alter non, & contingat sollicitatio, erit casus denunciationis, non tamen titulo simulationis, sed alterius tituli ex septem superius expositis, & num. 606. relatis.

Bord. in Man. Consult. sect. 25. num. 52. confirmat simulationes confessionis, ut confessio, ut talis credatur, debere esse mutuam, tam Confessarii, quam penitentis, non solum in intentione, sed etiam quoad actum exteriorem confessionis, & genuflexionis, quibus stantibus, à circumstantibus creditur vera confessio, non verò ejus personæ, quæ stans alloquitur Confessionarium sedentem in Tribunali. Ita ille.

At Elcobar, apud ipsum, tenet, sufficere simulationem ex parte Confessarii tantum, quia Bulla afficit tantum Sacerdotes simulantes ibidem confessiones audire. Vide num. 572.

634. Illud advertendum volo, quod si mulier ex parte sua confessionem simulat per recentita signa externa sufficientia, ut adstantes judicent, confessionem audiri, & Confessarius ex parte sua non det signa opposita, sed signa simulationis mulieris permittat, habetur simulatio ex conducto sufficiens ad onus denunciationis, si sollicitatio contingat. Vide num. 669.

#### CAPUT X.

#### DE NONA CLAUSULA.

Sollicitare, vel provocare tentaverim.

635. Hæc clausula est satis explicata, cap. 4. à num. 587.

#### QUÆRES I:

636. Confessarius dixit penitenti verba quadam provocativa ad inhonestà, penitens autem, vel quia distracta, & applicata ad peccatorum confessionem, vel quia surdastra, talia verba non audivit, aut non advertit, quod Confessarius dignoscens, ea verba non repetit,

sed est profectus confessionem; totum verò actum intellexit, & percepit una mulier, quæ in proximo latere reperiebatur. An sit denunciandus?

Negat Bord. cit. num. 15. quia ut penitens dicatur sollicitata, debet habere cognitionem verborum, aut signorum sollicitationis, vel provocationis ad inhonestà, non enim persona dicitur sollicitata, quando ad ea non advertit, cum actus sollicitationis suam non habuerint influentiam in personam.

Resp. esse denunciandum, ut violatorem frequentis clausula, quatenus inhonestos sermones cum penitente habuit. Tractatus enim, & sermones inhonesti (uti fateatur ipse Bord. cit. num. 25.) dupliciter contingere possunt. 1. Sine provocatione. 2. Cum provocatione ad actum inhonestum, siue inter se, siue cum aliis perpetrandum, juxta num. 590. & utroque modo est casus denunciationis; in præfenti casu verba illa, licet ex defectu influentia, non habuerint rationem sermonis inhonesti cum provocatione, habuerunt tamen rationem sermonis inhonesti sine provocatione, quod sufficit, ut casus comprehendatur sub 10. clausula, & inde sit denunciatio. Vide num. 639. Tam quia de tali Confessario malè præsumitur cum aliis penitentibus, atque inde habetur finis legis.

#### QUÆRES II:

637. Confessarius dixit in confessione puella verba sollicitationis; puella autem simplex, quæ vim verborum ignorabat, nihil mali tunc cogitavit, sed post multum temporis marito data cognovit, quod Confessarius inhonestà voluerit, unde petiit ab alio Confessario, an teneretur primum Confessionarium denunciare?

Alium proponit Bord. in Man. Consult. sect. 25. à num. 79. & serè habet, ut sequitur:

Respondit unus, non teneri. Alius eam obligatam esse dixit ad denunciandum. Tertius dixit, omnia delicta, tam publica, quam privata spatio viginti annorum præscribi, de communi. Farinac. q. 10. num. 1. excepta heresi, quæ nunquam præscribitur, ex eodem num. 37. si ergo à die confessionis conjuncta cum verbis sollicitationis usque ad cognitionem virtutis illorum transierit viginti anni, non tenetur denunciare; quia sola heresis non præscribitur, utique illius suspicio procedens à delictis, quod non est formaliter heresis.

638. Ego dico, puellam ad nihil teneri, quia cum ignoraverit tunc significationem, & vim illorum verborum, sicut non contraxit obligationem denunciandi, quæ supponit notitiam illorum verborum; ita neque deinde contrahit in hoc casu, cum post multum temporis venerit in cognitionem sensus illorum verborum, & sic sollicitatio tuæ cognita non potest dici facta immediate ante, vel post confessionem.

Hæc Bord. Vide num. 700.

CA.



## CAPUT XI.

## DECIMA CLAUSULA.

*Ancum eis illicitis, & inhonestis sermones, sive tractatus habuerint.*

639. SUB his verbis comprehenduntur etiam sermones inhonesti sine provocatione, nam hæc clausula est distincta à priori: *solicitare, vel provocare tenuerint*, & additur cum particula disjunctiva *aut*. Quod non esset verum, in id clausula hæc esset superflua, si solum comprehenderet sermones inhonestos cum provocatione. Vide num. 617.

## QUÆRES I:

640. Duo Confessarii ita se habuerunt: unus proximè ad confessionem arte in somnum induxit feminam, quam sopitam cognovit: alter feminam, qua confessionem petiit non sui arte, sed proprio morbo somno sopitam cognovit. An sint denunciandi?

641. ANERIUS, & TRULLENCH apud Leandrum tract. 7. de penit. disp. 13. quest. 33. affirmant de primo, negant de secundo, quia ille est verè sollicitator, & provocator, ille verò est tantum fornicator; Bullæ autem sunt editæ, non contra Confessarios fornicantes proximè ad confessionem, sed contra sollicitantes.

642. Resp. utrumque esse denunciandum. Diana part. 10. tract. 4. ref. 43. Leander cit. Primum, quia verè sollicitavit, non verbo, sed opere sceminam in confessione, aut proximè ad confessionem, dum arte eam tunc ad somnum induxit ad inhonestam. Secundum, quia licet propriè non sollicitavit, seu provocavit, habuit tamen cum ea contractum inhonestum, non verbo, sed opere, quod est plus; quodque cum sit principalior effectus inhonestus, eodem rigore prohibetur per Bullam Greg. & licet in neutro casu mulier peccaverit, in utroque casu Confessarius injuriam intulit Sacramento.

## QUÆRES II:

643. An Confessarius penitentem de pulchritudine laudans sit denunciandus?

NEGAT Freitas, apud Dianam part. 4. tract. 5. ref. 18. quia mulierem de pulchritudine laudare, non est sermones inhonestos habere.

Affirmant Diana cit. Peyr. Bonac. quia talis laudatio est graviter peccaminosa, nam est impertinens ad confessionem, & hujusmodi laudibus amantes solent mulieres trahere, & incitare ad amorem; unde non sunt verba honesta.

644. Resp. cum distinctione. Est denunciandus, si nullus appareat finis honestus talis laudis; quia tunc habet locum ratio secundæ sententiæ. Non est denunciandus, si finis honestus appareat: v. g. si mulier conquesta sit de adulterio mariti, & Confessarius addat: *tibi fecit injuriam, qua es juvenis pul-*

*chra nimis, rubicunda, &c.* tunc enim verba illa specificantur ad sine non turpi, & onus est de sollicitatione ad inhonestam.

Quod si præfata verba laudis proferantur à Confessario sine occasione, est denunciandus, quia tunc sunt impertinentia, & suspecta, Diana part. 9. ref. 32. qui in hoc sensu negat in part. 4. Idem tenent Tancr. tom. 4. de penit. q. 12. & Bord. cit. cap. 23. q. 8. num. 59. qui monet proinde mulieres, ut non sint sollicitæ ad denunciandum, quando verba possunt trahi in bonum sensum, sed consulant viros doctos, & timoratos, ne sine causa Confessarios infamant, & in dubio se abstineant. Ita ille.

Et ego moneo Confessarios, ut à similibus laudibus, licet non ex turpi fine, omnino se abstineant, sintque prudentes, ac vigilantes in verbis, & nullo pacto in hujusmodi angustias se ponant. Nam confessionale non est locus laudandi mulieres, sed reprehendendi.

645. Illud certum est, Confessarium esse denunciandum, si dum audit confessionem servæ, laudet de pulchritudine dominam suam, rogando, ut id illi referat. Salles reg. 152. num. 118. quia talis laus excusari non potest, cum tunc non alloquatur cum domina.

## QUÆRES III:

## CASUS DUODECIM.

646. 1. Confessarius dixit penitenti: *si essem secularis, tecum nuberem.*

2. *Memor esto mei, qui te ex corde diligo.*

3. *Expecta me hodie domi tue, quia habeo tecum loqui.*

4. *Hæc tua peccata cadere me fecerunt in pollutionem involuntariam.*

5. Mulieri confiteri volenti dixit: *Nolo te audire in confessione, quia amore tui captus sum, ne tibi, & mihi aliquid mali contingat.*

6. Mulieri in confessione sollicitanti respondit: *Estne hic locus similia loquendi? Seu: Filia, hic non est locus de hac materia loquendi.*

7. Vel respondit eidem: *Deestne locus, aut tempus hæc loquendi?*

8. Suam concubinam objurgavit ex zelotypia, quod cum alio se immiscuerit.

9. Dixit: *Cur etiam mecum non es humana?*

10. Dixit: *Veniam in domum, & promitte mihi facere, quod volueram.*

11. Mulieri contenti desiderium libidinosum dixit: *De hoc hagas tecum post confessionem.*

12. Mulieri in confessione sapius graviter conquerenti de verbis turpibus sibi à quodam juvene dictis dixit: *Quid caput semper obtundis. Certe si alias, charus tibi dixisset, non quæsta esses.* An sint denunciandi?

In his, & similibus casibus, ut locum habeat difficultas, omnino supponendum est, hujusmodi actiones factas esse in confessione, aut proximè ad

confessionem immediatè ante, aut post, vel occasione, aut pretextu confessionis, vel in Confessionario, aut cum simulatione confessionis, juxta septem capita denunciationis, ex num. 606. extra quæ si contingant, nullo pacto pariunt onus denunciationis. Hoc præmissis,

647. Ad primum, & secundum, negat Bord. num. 54. quia verba non important peccatum mortale, & solum explicant pudicum affectum, qui reperitur inter conjuges.

Resp. utrumque esse denunciandum. Diana part. 9. tract. 9. ref. 32. quia præfata verba sine aliqua occasione in confessione dicta, sunt impertinentia ad confessionem, & excitativa ad venenum, ac proinde inhonestæ; non minus quàm verba laudis sine aliqua occasione dicta ex num. 645.

648. Ad 3. resolutio pendet ex exitu tractatus in domo, nam si tractatus est inhonestus, juxta dicta in num. 595. Confessarius est denunciandus, quia sollicitatio, licet sit facta in domo post confessionem, dicitur tamen moraliter facta in confessione, quatenus est moraliter conjuncta cum verbis habitis in confessione per se ordinata ad tractatum inhonestum in domo, nam animus ex facto etiam nullus, & sola attentatio declaratur. L. Legatum, §. fin. ff. de Alim. legat. & factum aliusvis ipsum judicat. L. Cum probatio, ff. de Probat. Bord. in Man. Conf. sect. 25. Vide num. 593.

649. Ad 4. resp. esse denunciandum Bord. num. 54. quia ille est sermo valde mentem penitentis conturbans in ordine venereo, ac proinde inhonestus, & multò magis, si aperiatur delectationem, aut pollutionem voluntariam intra confessionem habitam. Non est autem denunciandus, si id aperiat mulieri extra confessionem, quia non habentur capita relata num. 606. Leander tract. 5. de penit. disp. 13. quest. 14.

650. Ad 5. negat Bord. num. 55. quia per ea verba potius colligitur detestatio sollicitationis, ob malum, quod sequeretur.

Resp. tamen, esse denunciandum. Trimarchus disp. 3. sect. num. 33. de Solicit. quia per illa verba fit ostensio amoris venerei, & illa diffusio est vera induccio, provocatio ad inhonestam callidè palliata timore mali.

651. Ad 6. resp. non esse denunciandum, nec esse casum sollicitationis, quia per verba illa Confessarius præcisè dissuadet mulierem à malo, & ei declarat reverentiam debitam loco.

652. Ad 7. resp. esse denunciandum; quia verba illa clarè suggerunt locum, & tempus mulieri, quo tractatum inhonestum habeat, adeoque sunt inhonestæ.

653. Ad 8. resp. cum distinctione: vel objurgatio est talis, ut judicio prudenti non faciat dignoscere, quòd procedat ex zelotypia: talis est, si sit modesta, & pura reprehensio medicinalis peccati, quæ regulariter Confessarii timorati, & prudentes uti lo-

lent: & tunc non est denunciandus, quia reprehendere peccata carnis est virtuosum, nec est novum, quòd Sacerdos inhonestus, & perditus, dum gerit rem peccatoris, sit tamen honestus, & vigilans, dum subit munus Ministri Christi. Neque obstat, si Confessarius reverà moveatur ex zelotypia, quia cum signa, & verba externa reprehensionis honestæ (ut supponimus) non faciant illam dignoscere, erit tantum zelotypia interna, & sollicitatio mente retenta, quæ non subjacet Bullis, & oneri denunciationis.

Vel objurgatio est talis, ut judicio prudenti faciat dignoscere, quòd procedat ex zelotypia: talis est, si excedat limites modestæ reprehensionis peccati: talis inquam est, si mulier confessæ est peccata carnis commissa, tam cum alio, quàm cum ipso Confessario, & Confessarius eam objurgat solum de commissis cum alio. Aut reprehensio est ita ardens, ut addat minas, injurias, vel alia signa & verba, quæ zelotypiam ostendant: & tunc est denunciandus, quia talis actio est provocativa ad lasciviam, aut saltem est signum offensivum amoris lascivi.

Nec aliud (si attentè considerentur) intendunt Leander cit. quest. 16. dum affirmat, & Freitas apud Dianam p. 4. tract. 5. ref. 34. dum negat esse denunciandum, & Tancr. infra quest. 23. dum ait non censeri loqui turpia, nec sollicitare, nisi addat alia verba: v. g. *& me non vis*, aut quid simile.

654. Ad 9. 10. & 11. resp. esse denunciandum Tancr. tom. 4. tract. 1. de penit. quest. 17. quia sunt verba offensiva intentionis inhonestæ.

655. Ad 12. resp. Tancr. cit. quest. 22. quòd Confessarius sit imprudens, revocando in memoriam alterius amorem, ac non denunciandus; quia illa verba, nec sunt turpia, nec excitativa ad peccandum cum alio, sed de se objurgativa nimis affectationis mulieris.

## QUÆRES VI:

## CASUS QUINQUE.

1. Confessarius dedit mulieri in confessione chartam sollicitationis, postea tamen legendam.

2. Post auditam confessionem mulieris, misit in eam domum litteras sollicitationis, aut lenoniem, qui illam induceret ad inhonestam.

3. Dedit mulieri immediatè post confessionem domum insolitum, v. g. annulum, nullam explicando causam.

4. Consulit mulieri conjugatæ in confessione homicidium sui viri.

5. Dat penitentem in confessione pecuniam, ut eam tribuat suæ meretrici. Vel ab ea petit domum, ut eò adducat suam concubinam. An denunciandi?

656. RESP. ad 1. esse denunciandum, ob dict.

in num. 596. ex Decr. Alex. VII. prop. 6. die 24. Sept. 1665. etiamsi Confessarius dixisset, litteram illam ad eam mittere sum conflagineum; nam in traditione incipit sollicitatio, & in lectione per-